



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Corollaria notatu digna,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

ARTICVLVS III.

An mundi gubernatio, & praesertim hominum custodia, Beatis Angelis à Deo commissa sit?

DE Angelorum dignitate & gloria, variisque eorum hierarchiis & ordinibus, abundè satis pertractavimus, praecedentibus articulis: oportet nunc ut varia illorum ministeria explicemus, & eaque declarem charitatis & benignitatis obsequia, quae ab illis humanum in genus assidue derivantur. Nam si multum est ad nos loqui de ea claritate & gloria, quae in semetipsis, imò **B** in Deo suo Angeli sancti nostris omnino supereminet cordibus; de ea loquamur, quam nobis exhibent gratia & charitate, ut Bernardi verbis utar. In supernis enim Spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis invenitur.

Serm.
1. de S.
Chaele

§. I.

Prima pars quaestii resolvitur.

46 Dico primò, Deus per Beatorum Angelorum ministeria hunc visibilem mundum gubernat. Ita D. Thomas hic quaest. 110. art. 1.

Probatur ratione ipsius. Omnis particularis potestas gubernatur per superiorem & magis universalem, sicut potestas Ballivi per potestatem Regis: Sed virtus corporea est magis particularis, quam virtus spiritualis Angelorum, eique inferior, ut patet: Ergo ab illa regitur.

Præterea, ut dicitur idem S. Doctor 3. cont.

47 Gentes cap. 78. *Quae amplius de virtute divina providentia participant, sunt executiva divina providentia in ea qua minus participant. Creatura autem intellectuales plus aliis de ipsa participant: nam cum ad providentiam requiratur dispositio ordinis, quae fit per cognoscitivam virtutem, & executio qua fit per operativam, creatura rationales utramque virtutem participant; reliquae vero creatura virtutem operativam tantum: Per creaturas igitur rationales omnes aliae creaturae sub divina providentia reguntur. Unde Augustinus libro 83. quaestionum, quaest. 79. ait: *Vnaquaeque res visibilis in hoc mundo, habet potestatem angelicam sibi propositam.* Et Gregorius 4. Dialog. cap. 15. in hoc mundo visibili, inquit, nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Item Nazianzenus carmine 6. de ministrantibus Angelis sic ait:*

Pronaque ad obsequium pars altera sustinet orbem, Auxilioque suo servat.

Ubi alludere videtur ad illud Job. cap. 9. *Deus cuius in a nemo resistit, sub quo curvantur qui portant orbem.* Orbem enim sancti Angeli sustinere & portare dicuntur, quia divinorum illorum Spirituum ministerio Deus utitur in hujus visibilis mundi gubernatione. Unde Philo Judaeus libro 1. quaest. in Genesim, columnas illos similes esse ait, *quae rotas domos sustinent: Sic enim divinae illae Virtutes mundum universum, & in humano genere id quod optimum, ac Deo charissimum est, fulciunt.*

48 Id etiam solo luminis naturalis ductu agnovere quidam ex antiquis Philosophis. Triflingustus enim in Pyramdro cap. 1. Angelos mundi hujus gubernatores appellat: & cap. 8. ait, quod Deus creavit septem opifices circa septem circulos: hi sunt mundi hujus gubernatores. Quod

A fortè ex sacris paginis mutuatus est: in Scriptura enim mentio fit septem spirituum, quos Deus creaturarum omnium regimini à Deo praefecit sunt: unde meritò putant Recentiores aliqui eos significari per septem oculos, quos vidit Propheta in uno lapide, Zacharia 3. Seneca etiam apud Laëtantium, libro 1. cap. 1. sic fatetur: *Deus cum prima fundamenta molis pulcherrime jaceret, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum corpus se intenderat, tamen ministros regni sui Deos (id est Angelos) genuit.*

Eadem veritas adumbrata videtur per scalam illam mysteriis plenissimam, quam vidit Jacob Genesim 28. Illa **C** (ut interpretantur Theodoretus & Cyrillus Alexandrinus) Dei providentiam circa hæc inferiora significabat: Angeli verò per eam ascendentes & descendentes, divinorum illorum Spirituum ministeria in hujus visibilis mundi gubernatione denotabant. Dicitur, inquit Theodoretus, nihil negligenter & sine cura ab omnipotenti Deo administrari, sed ipsum omnia dispensare, sanctorum Angelorum utentem ministerium. Unde etiam apud Ezechielè Cherubini curam Dei ferre dicuntur, quia (ut explicat Novatianus) Deus Beatorum illorum spirituum ministerio utitur in hujus visibilis mundi gubernatione. Quod non est intelligendum de superioribus illis spiritibus, qui in prima hierarchia secundum obtinent locum; illi enim, ut supra vidimus, semper Deo assistunt, & ad externa ministeria nunquam mittuntur; sed de aliis Angelis quae inferiorum ordinum, qui Cherubini nomen interdum sortiuntur, eo quòd aliquam proprietatem Cherubinatorum participant nempe scientiam vel sapientiam, quae ad regimen & gubernationem universi maximè requiritur; unde in illa aliquo modo Cherubinis subordinantur.

§. II.

Corollaria notatu digna.

D **E**X his colliges primò, errasse Aristotelem, dum solum in corpora caelestia immediata praesidentia superioribus spiritibus seu intelligentiis tribuendum putavit; proinde eos non plures esse credidit, quam essent orbis quos moverent, seu caeli quibus administrandis praesiderent. Colligitur, inquam, in hoc illum errasse: quia, ut vidimus, Angeli non solum caelestia, sed alia etiam inferiora corpora, Dei ordinatione administrant & regunt. Cujus rationem assignat D. Thomas hic quaest. 110. articulo primo ad 2. Quia praeter operationes naturales, quae in istis inferioribus corporibus exercentur, sunt etiam aliae, quae à principio naturali esse non possunt, sed contingenter ad naturam se habent, vel naturae visibilis vim excedunt, ut patet de conversione virgae in serpentem, de loquela asinae, & aliis operationibus extraordinariis & miraculosis, de quibus in Scriptura fit mentio: licet autem ad actiones inferiorum corporum naturales, impressio sola, & motus aut influentia caelestium orbium sufficere videantur, neque ad illas requiritur necessariò ullas operationes Angelorum, ut sint immediata earum principia, ad actiones tamen alias, quae praeter naturam fiunt, vel accidunt naturae, sufficere non possunt eorumdem corporum impressiones ac virtutes; quia ex seipsis ad naturales effectus

...as determinate sunt: sed ad illas ministe-
rium Angelorum requirunt. Unde maxima om-
nium miraculorum quae facta sunt in veteri Te-
stamento, ut in liberatione populi Israel de A-
gypto, in illius ductu per desertum &c. item
Prophecarum illuminatio ad edenda oracula,
Angelorum ministerio facta sunt: imò totius
legis veteris traditio disposita est per Angelos,
Denique, quod majus est, nul-
lum est mysterium Christi Redemptoris, ad cu-
jus publicationem, gloriam, & executionem,
non plurimum contulerint ministeria SS. An-
gelorum, ut ex Evangelio constat.
Ex dictis etiam colligis, valde probabile esse,
mod ex Gregorio docet D. Thomas hic quaest.
113. art. 2. nempe cuilibet rerum materialium
generi, imò & cuilibet ipsarum speciei, propri-
um & determinatum Angelum in custodia ef-
ferre deputatum. Nam, ut ibidem discuntur S. Do-
ctores, Angelorum custodia est quaedam executio
divinae providentiae: Dei autem providentia
impartialiter est circa illa quae perpetuo manent,
nulla sunt genera & species rerum corruptibili-
um. Ergo pro illarum conservatione & propa-
gatione aliquis Angelus deputatus est. Unde
apocalyp. commemoratur Angelus aquarum
cisternarum, id est ut explicant SS. Patres, Ange-
lus qui praestitit aquis: & cap. 16. fit mentio de a-
ngelo habente potestatem supra ignem. Ex
pro Andreas Celsarientis infert Angelicas pote-
states creaturis etiam irrationalibus esse praepo-
sitas, & earum custodiae & conservationi invigi-
lare. Quare cum sint duo modi custodiendi ali-
quam rem, removendo scilicet causas quae ei
nocere possunt, & promovendo bonum illius,
numquamque exercent Angeli circa insensibilia:
numquam quidem, quia multa quae nocere pos-
sunt eorum productioni & conservationi, remo-
ventur secundum verò praestant, applicando a celi-
stibus: hoc enim solum modo ad rerum cor-
ruptibilitatem generationem & propagationem
possunt concurrere, ut docet D. Thomas hic
quaest. 110. art. 2. & probat hac ratione. Id quod
compositum in mediata forma materiae, debet
habere similitudinem cum composito quod ex
materia & forma resultat; vel quia est pariter
compositum, vel quia eminenter ipsum conti-
net quoad materiam & quoad formam. Sed An-
gelus non est similis composito, ullo ex praedictis
modis; cum neque sit compositus ex materia &
forma, ut patet, neque virtualiter aut eminenter
materiaeque contineat; hoc enim soli Deo propri-
um est, cum sit ipsum esse per essentiam: Ergo
Angelus non potest immediate inducere for-
mam in materia, sed mediata tantum, eam praepo-
nendo ac disponendo ad receptionem formae,
per activorum & passivorum applicationem.
Ergo intelliges, quam aliena sit à mente S.
Doctoris eorum sententia, qui asserunt viventia
imperfecta, quae ex putri materia generantur si-
cut causa univoca, reduci in intelligentias caelo-
rum motrices, tanquam in causas principales:
nam enim D. Thomas mox allata convincit op-
positum. Unde dicendum est, omnes illas pro-
ductiones speciales viventium imperfectorum,
reduci in ipsum autorem naturae, suppletentem
specialiter defectus causarum particularium;
corpora verò caelestia ad eas concurrere tan-
quam instrumenta Dei; ipsos autem Angelos se-
paratim ut purè applicantes instrumenta illa, non
verò ut ea elevantes.
Tom. II.

A Quærunthic aliqui, an Angeli virtute sua na-
turali possint vera patrare miracula?
Respondeo negativè: quia miraculum verum,
& tale simpliciter, est quando fit aliquid contra
aut præter ordinem totius naturae creatae: sicut
autem solus Deus est author totius naturae, ita
solus ille potest præter aut contra totum naturæ
creatæ ordinem operari; unde dicit David: *Qui
facit mirabilia solus.*
Adde quod Angeli pars mundi sunt: Sed pars
non potest plus toto: Ergo naturæ ordinem &
leges universi Angeli mutare non valent, juxta
illud Apostoli ad Hebræos 2. *Non subiecit Deus
Angelis orbem terræ futurum*, id est mundum istum
visibilem; qui futurus dicitur, *non respectu nostri,*
*sed respectu Christi, qui est ab aeterno, cum orbis sit in
tempore*, inquit S. Thomas ibidem lect. 2. Possunt
tamen Angeli plures effectus mirabiles præsta-
re, qui possunt dici miracula secundum quid, &
respectu nostri, qui ea miramur quorum causas
nescimus. Cum enim omnia corpora inferiora
obediant illis ad motum localem; activa, quo-
rum proprietates perfectas habent, applican-
do passivis, possunt multa efficere, quæ naturæ
solius operatio nunquam fecisset, nisi artificio-
sâ illâ applicatione fuisset adjuta.

C §. III.
Statuitur secunda conclusio.

Dico secundò, homines per Angelos regi & 53
gubernari.

Hæc conclusio sequitur ex præcedenti: si e-
nim per Angelos totius hujus visibilis universi
regimen exercetur, homo qui est præcipua hu-
jus pars, debet ab illis regi & gubernari.

Præterea, ut discuntur D. Thomas hic quaest.
113. art. 1. Ordo divinae providentiæ exigit ut
mobilia ac mutabilia regantur immutabilia; ut
patet in corporibus inferioribus & corruptibili-
bus, quæ moventur per caelestia & incorruptibi-
lia: Sed homines, quantum ad animam & cor-
pus, quantum ad cogitationes & affectus, mu-
tabiles sunt, ut experientia constat, & colligitur
ex illo Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timida, &
incerta providentia nostra*: Ergo debent regi per
Angelos.

Si autem quæras, quomodo Angeli homines 54
gubernent, seu quos actus erga illos exercere
valeant?

Respondeo ex D. Thomâ hic quaest. 111. illos
tria præcipuè circa homines opera exercere pos-
se. In primis enim eorum intellectum illumina-
re possunt, & ignorantiae tenebris purgare: quia
*sunt (inquit Areopagita) clara & illustra lumina,
quæ habent manantes, & se foras effundentes illustra-
tiones*: vel ut ait Nazianzenus, *secundi splendores,
primi splendoris administri*: vel ut loquitur Da-
mascenus, *secundaria lumina, quæ à primo lumine
lucem hauriunt*. Unde in Apocalypsi vocantur
Lampades ardentes, & apud Job *Astra matutina*,
ob maximum clarissimumque splendorem quo
præditi sunt. Illuminant ergo hominem, non
infundendo ei species, vel aliquem habitum:
quia, ut supra vidimus, non possunt illabi intra
mentem illius, sed proponendo veritatem mo-
do ipsi proportionato, id est sub sensibilibus si-
militudinibus adumbratam: *Impossibile enim
est (inquit Dionysius de caelesti Hierarch.
cap. 1.) aliter nobis lucere divinum radium, nisi
varietate sacrorum velaminum circumvelatum.*

E Ergo intelliges, quam aliena sit à mente S.
Doctoris eorum sententia, qui asserunt viventia
imperfecta, quae ex putri materia generantur si-
cut causa univoca, reduci in intelligentias caelo-
rum motrices, tanquam in causas principales:
nam enim D. Thomas mox allata convincit op-
positum. Unde dicendum est, omnes illas pro-
ductiones speciales viventium imperfectorum,
reduci in ipsum autorem naturae, suppletentem
specialiter defectus causarum particularium;
corpora verò caelestia ad eas concurrere tan-
quam instrumenta Dei; ipsos autem Angelos se-
paratim ut purè applicantes instrumenta illa, non
verò ut ea elevantes.
Tom. II.

